

I T A L I A.

vocatur regnum, multum pristinae dignitatis & splendoris amisit, excepta felicissima Campania ora, idque propter varia exterorum imperia, quibus vexata diu ac impedita fuit.

Fecit Italiae praestantia, ut de ejus principatu toties olim tamque acriter dimicatum fuerit, utque eam oppugnatam venerint nullae non gentes, Galli, Pœni, Gothi, Hunni, Hungari, Cimbri, Teutones, Franci, Vascones, Helvetii, Germani, Hispani. Facit ejus celebritas, ut turmatim huc confluant, quotquot exteras regiones lustrandi amor incessit. Facit ejus amœnitas & omnigena voluptas, ut plurimi ejus dulcedine capti patriæ suæ oblivisci ament. Hic montes vitiferos, variarumque rerum feracissimos adspectabis. Illic valles irriguas, sylvasque umbra arborumque proceritate, varietate, & quo se offerunt transeuntium oculis prospectu, gratissimas. Ad littus deflectentibus sinus se ostentant maris mediterranei ampli & profundi, portus quoque, naviumque stationes tutissimæ. Passim flumina aquis saluberrimis terram irrigant, lacusque limpidi & fontes illimes soli siccitatem corrigunt. ut in hunc tanquam in Pandoræ pyxidem aut Amalthæum cornu omnes naturæ dotes contulisse videatur beneficium Numen. Incolæ domi militiæque clari. Urbes opibus, ædium splendore, civiumque frequentia celebres, aliæ partim loci natura, partim humana opera ac industria invictæ. Pagi ædificiis nobilium prætoriiisque superbunt. Quin & veterum ubique monumenta, structuræ regulatorum, & prisca rudera; plurimaque tum humanæ solertiæ, tum naturæ matris miracula, spectatores detinent, & festinantium aliàs itinera grato incommodo morantur. Sed non abs re fuerit adscribere de celeberrimis Italiae civitatibus, earumque privatis dotibus versus Italicos, celebratos passim nec inelegantes:

*Fama tra noi Roma pomposa & santa,  
Venetia riccha, saggia & signorile,  
Neapoli odorifera & gentile.  
Firenze bella tutto il volgo canta,  
Grande Milano in Italia si vanta,  
Bologna grassa, è Ferrar civile,  
Padova forte, è Bergamo sottile,  
Genoa di superbia altiera pianta.  
Verona degna, è Perugia sanguigna,  
Brescia l'armata, è Mantova gloriosa,  
Rimini buona & Pistoia ferrigna.  
Siena de bel podere; Lucca industriosa,  
Furli bizarro, & Ravenna benigna,  
E Sin Gallia del ania noiosa,  
E Capua amorosa.  
Pisa freudente, & Pesaro giardino,  
Ancona del bel porto pellegrino,  
Fedelissimo Urbino.  
Ascoli tondo, è lungo Recanate,  
Foligno delle strade inzucerate,  
Et per da cielo mandate.*

*Le belle donne da Fano se dice,  
Ma Siena poi tra l'altre piu felice.*

Sabellicus quoque in eundem sensum principibus Italiae urbibus, ex vulgi prædicatione, hæc epitheta adscribit: Roma sancta: ob Pontificis maximi sedem. Dites Venetiæ, ob potentiam atque opes immensas. Genua superba: ob superbam ædificiorum magnificentiam. Mediolanum magnum: ob amplitudinem urbis, civiumque numerositatem. Florentia pulchra: ob ædificiorum splendorem, vicorum munditiam, latitudinem ac directionem. Neapolis nobilis: ob frequentiam Principum, Comitum, atque equestris ordinis virorum. Bononia pinguis: ob lascivam agri fertilitatem. Ravenna antiqua: ob ædificiorum totiusque urbis vetustatem. Patavium doctum: ob litterarum & humanarum artium studia. Audiamus & Thomæ Eduardi Angli de iisdem urbibus judicium, heroico carmine editum:

*Sancta est sanctorum pretioso sanguine Roma.  
Cingitur urbs Venetum pelago, ditissima nummis.  
Inchya Parthenope gignit Comitesque Duceque.  
Est Mediolanum jucundum, nobile, magnum.  
Excellit studiis fecunda Bononia cunctis.  
Splendida solertes nutrit Florentia cives.  
Genua habet portum, merceque, domusque, superbas.  
Exhaurit loculos Ferraria ferrea plenos.  
Verona humana dat singula commoda vita.  
Extollit Paduam Iuris studium & Medicina.  
Illustrat Senas patriæ sacundia lingua. (monam.  
Maxima pars hominum clamat miseram esse Cre-  
Mantua gaudet aquis ortu decorata Maronis.  
Vina Vtini varias generosa rebuntur in urbes.  
Brixia dives opum parca succurrit egenis.  
Italicos versus præfert Papia Latinis.  
Libera Luca tremit Ducibus vicina duobus.  
Flent Pisæ amissum dum contemplantur honorem.  
Commendat Parmam lac, caseus, atque butyrum.  
Non caret hospitibus perpulchra Placentia caris.  
Taurinum exornant virtus, pietasque, fidesque.  
Militibus validis studiosa Perusia claret.  
Emporia in portis consistit gloria clausis.  
Mordicus urbs Mutinæ ranas tenet esse salubres.  
Contemnunt omnes Anconæ mœnia Turcas.  
Lutibus imponit finem Macerata Picenis.  
Urbs Livii celebris nimis est proclivis ad arma.  
Bergomum ab inculta dictum est ignobile lingua.  
Vercellæ lucro non delectantur iniquo.  
Odit mundanas syncera Novaria fraudes.  
Clara perantique defecit fama Ravennæ.  
Permultos Comites Vicentia nutrit egenos.  
Omnibus exponit gladios Aretium acutos.  
Dulcia felicem cingunt vineta Cefenam.  
Civibus humanis decorata est Asta fidelis. (dat.  
Fructibus, anseribus, pomarium Ariminum abun-  
Omnes commendant ficus, grossosque Pisauri.  
Castaneis, oleo, tritico, Pistorium abundat.  
Rustica frugales nutrit Dertona colonos.  
Postponit Regium cornuta animalia porcis.  
Tarvi-*